Copie B

in nomine patris et filii et spiritus Sti.

Omnia ad majorem dei gloriam et mariæ genitricis domini jesu honorem

Nos infra scripti ad majorem dei gloriam et mariæ genitricis domini jesu concurrere satagentes asserimus et notum facimus, nos sinceram intentionem firmamque voluntatem habere nosmetipsos consecrandi quam primum opportunum erit piissimæ Maristarum instituendæ Congregationi: quapropter presenti actu et subscriptione nos omniaque nostra in quantum possumus irrevocabiliter dedicamus Beatæ mariæ virginis societati: illudque non pueriliter, non leviter, non ex aliquo humano fine aut spe temporalis emolumenti, sed serio, mature assumpto consilio, omnibus coram deo perpensis, propter solam majorem dei gloriam et mariæ genitricis domini jesu honorem: devovemus nos omnibus pœnis, laboribus, incommodis, et si aliquando necessarium est, cruciatibus, cum possimus omnia in eo qui nos confortat christo jesu cui eo ipso fidelitatem fidelitatem promittimus in gremio Sanctissimæ matris ecclesiæ Catholicæ Romanæ, ejusdem summo capiti pontifici Romano totis viribus adhærentes; nec non Reverendissimo episcopo ordinario nostro, ut simus boni ministri christi jesu, enutriti verbis fidei et bonæ doctrinæ quam ipsius gratia assecuti sumus: confidentes quod sub amico pacis ac religionis christianissimi regis nostri regimine, brevi in lucem prodibit eximia illa institutio. Solemniter pollicemur nos omnia nostra impensuros esse ad salvandas modis omnibus animas sub augustissimo nomine virginis mariæ ejusdemque auspiciis.

omnia tamen salvo meliori superiorum judicio

Laudetur sancta et immaculata Beatæ mariæ virginis Conceptio Amen